


7
I M A G O
N A S C E N T I S
H E R O I S,
I N R E G E H I S P A N I Æ
E T I N D U C E
B U R G U N D I O N U M
E X P R E S S A.

O R A T I O

Habita in regio LUDOVICI MAGNI
Collegio Societatis JESU.

Ab ANDREA LE CAMUS, ejusdem
Societatis Sacerdote.



PARISIIS,

Apud Viduam SIMONIS BERNARDI
viâ San-Jacobæâ, è regione Collegii
LUDOVICI MAGNI.

M. DCC. III.

CUM PERMISSU,


IMAGO
NASCENTIS
HEROIS
IN REGE HISPANIAE
ET IN DUCE
BURGUNDIONUM
EXRESSA
ORATIO

Habitu in regia Ludovici Magni
Collegio Societatis Jesu.
Ab Andrea Le Camus, quondam
Societatis Sacerdote.

PARISIIS

Apud Viduam Simonis Bernardi
vis San-Jacobi, 6 regione Collegij
Ludovici Magni.

M. DCC. LII.
CUM PERMISSU.



EXCELLENTISSIMO
ECCLESIAE PRINCIPI
LAURENTIO
FIESCHI
AVENIONENSIIUM
ARCHIEPISCOPO,
APUD REGEM
CHRISTIANISSIMUM
SEDIS APOSTOLICAE
NUNCIO
EXTRAORDINARIO.

C*Um nuper, EXCELLEN-*
TISSIME ECCLESIAE
PRINCEPS, ad te accessissem
gratias acturus de humanitate fir-

gulari, qua dicenti mihi faueras,
significasti non obscure, tibi displicuisse Orationis meae partem illam,
quae de tuis laudibus agebat. Statui illico purgare me, & à te appellare ad teipsum. Possem provocare ad eos omnes, qui sua me praesentia cohonestarunt, quibus vel maximè probatus est is locus, quem tu improbas. Sciunt illi quàm religioso silentio modestiae tuae gratificatus sim. Sed te unum testem volo simul & iudicem. Rem totam narrabo uti se habuit. Credideram nefas esse non delibare saltem aliquid de tuis virtutibus. Id expectabant omnes quotquot aderant. Id imprimis cordi erat Societati nostrae, quae te patronum

experta est amantiſſimum ubicum-
que cum poteſtate & imperio
fuiſti ; quæ te Alumno quondam
gloriata eſt , antequam gauderet
parente , in quam univerſam reti-
nuiſti ſemper , ut ipſe perhumaniter
confeſſus eſ , propenſiſſimam vo-
luntatem , quæ quidem tuæ eſt na-
turæ , non cujuſquam rei quæ in
nobis tuo iſto ſtudio & propenſio-
ne digna eſſe potuerit. Verumta-
men meminiſti , EXCELLEN-
TISSIME ECCLESIÆ
PRINCEPS , tacuiſſe me ſtatim
atque audiſſe te eſſe laudis omnis
oſorem. Ne verbum quidem ad-
didi. Malui deeſſe omnium expe-
ctationi ; & reus fieri apud ſo-
cios , quàm tibi non obſequi , &

modestiam tuam vel minimum
violare. Nam quod ad illa perti-
net quæ perstrinxeram de familiæ
amplitudine, non sunt hæc mea.
Retuli paucis quod est in ore om-
nium, quod in me non erat tacere
vel si voluissem; esse te scilicet ex
ea gente prognatum, quæ nulli
inter Italas secunda foret, dicere
poteram, quæ esset omnibus fere
superior. Relegere poteram multa
secula; & subire caliginem tem-
porum, unde non pauci petunt fa-
miliis suis claritatem, quæ omnium
Historicorum consensu FLIS-
CORUM genti asseritur. Ta-
cui ista. Dixi duos ex gentilibus
tuis ad summi Pontificatûs apicem
euectos esse. Nolles id reticere

quod pertinuit ad totius orbis Ca-
tholici utilitatem & decus. Pote-
ram addere multos alios eo hono-
re dignos fuisse, qui duobus
delatus est. Poteram appellare
GEORGIUM, GUILLEL-
MUM, JOANNEM, LUDO-
VICUM, LUCAM, diversis
temporibus sacri Collegii lumina,
NICOLAUM imprimis, qui no-
bilissimis Ecclesiis Ebredunensi in
Gallia, Ravennati in Italia simul
præfuit, quasi clarissimum sydus
Galli & Itali sibi vicissim in-
viderent, qui faventibus pleris-
que Cardinalium, reperit ipse in
sua virtute obicem, ne ADRIA-
NO VI. in summo Pontificatu
succederet. Silentio ista omnia præ-

termisi. Laudavi ex ea gente Le-
gatos ad Principes, exercituum
duces terra marique, regii ordinis
in Gallia equites. Hæc verò, quæ
attigi sanè leviter, non potuisti
improbare, nisi fortè improbes lau-
dari quemquam qui ex tuo stem-
mate originem ducat. Unum est
quod magis visus es pro tuo ju-
re improbare posse, quia ma-
gis tibi proprium est. Dixi te
gratum charumque SUMMO
PONTIFICI virtutum simili-
tudine, pietate, religione, humani-
tate, te abstractum esse Avenio-
nensibus tuis invitum, non secus
ac SANCTISSIMUS PATER
Ecclesie universæ præfectus est in-
vitus; te visum esse præ ceteris di-

gnum qui à pacifico Pontifice ad
Regem pacificum Nuntius de pa-
ce mittereris. Hæc sunt, credo, quæ
reprehendisti, ECCLESIAE
PRINCEPS EXCELLEN-
TISSIME, sed primùm repre-
hensio non cadit in me, qui dixe-
rim id quod omnes dicunt; quod-
que adeo, si delictum est, delictum
est omnium. Deinde verò vide,
quæso, quid reprehendas. Nam
pace tua dixerim, laudes illæ non
tam sunt tuæ, quàm SUMMI
PONTIFICIS laudes, qui Mi-
nistros non eligit nisi dignos se,
hoc est, similes sui. Scio & ipsum
aversari laudem, & malle lau-
danda agere, quàm laudari; in
quo quidem ejus vestigia religio-

sè consequeris. Itaque fixum ra-
tumque est, ECCLESÆ PRIN-
CEPS EXCELLENTISSI-
ME, vim non facere modestiæ
tuæ, quæ tanto exemplo se tue-
tur. Atque ut probem, quàm sin-
cerè id promittam, expunxi to-
tum illum locum qui tibi potuit
minùs probari. Poteris jam Ora-
tionem integram, si vacat, citra
ullum modestiæ tuæ periculum
percurrere. Vereor ne multis im-
probetur eo destituta, quo placue-
rat. Sed vel ex hoc intclliges
quàm verè sim

EXCELLENTIÆ TUÆ

Addictissimus & obsequentissimus
ANDREAS LE CAMUS,
Societatis JESU.



IMAGO
NASCENTIS
HEROIS.



AGGREDIENTI
mihi hodie SE-
RENISSIMORUM
PRINCIPUM lau-
des, nihil excidet quod ab
A

oratoria, ut aiunt, profec-
 tum adulatione vel morosif-
 simi censores reprehendant;
 & quàm non sim orator,
 vel ex hoc uno facilè intel-
 ligetis, EXCELLENTISSIME
 SEDIS APOSTOLICÆ NUN-
 CIE EXTRAORDINARIE,
 ILLUSTRISSIMI ECCLESIAE
 PRINCIPES, PRÆSIDES IL-
 LUSTRISSIMI, AMPLISSIMI
 SENATORES, CÆTERIQUE
 OMNIUM ORDINUM AU-
 DATORES ORNATISSIMI.

Nihil dicam nisi quod
 vulgavit fama, nuntii publi-
 ci prædicarunt, privatorum
 litteræ confirmaverunt, ac
 ne hostes quidem negave-

3

runt. Quid illud, AUDI-
TORES? Id quod in Ger-
manico palmare fuit, quod
ipsi conciliavit militum
animos, quod in urbe tra-
gœdias excitavit & tumultus,
auditâ tanti viri morte,
& Tyranno virtutis invido
auxit metum, quo se de-
functum putaverat: id quod
Titi Imperatoris memo-
riam dulcem imprimis cha-
ramque Romanis effecit,
ut ex omnibus Augustis in-
ventus sit unus fortasse qui
veris lacrymis defleretur: id
quod denique in Trajano
visus est Plinius etiam su-
pra bellica decora extolle-

re & commendare.

Ac ne vos diutiùs suspensos teneam, nascentium Heroùm laudem præcipuam in eo esse contendo, ut amentur à suis, eamque laudem Hispaniæ Regi & Burgundionum Duci convenire singulariter, ex iis quæ in utroque Principe hoc anno præcipuè eluxerunt, ostendam.

Et verò duobus omnino continetur Heros, suorum felicitate, proprii nominis gloriâ. Atqui utrumque illud præstare mihi videor posse Principibus, qui sese amari à populo student.

Amor Principis felices populos efficit. Populi felices Principem efficiunt gloriosum. Plaudite igitur Galli Hispanique, quia ii vobis cælesti munere Principes obtigerunt, qui non aliis artibus debere gloriam suam volunt, quàm quibus vobis constet felicitas.

Habent Galli Hispanique in suorum Principum amore pignus & obsides perpetuæ felicitatis. Habent Principes indidem non dubium gloriæ suæ & immortalitatis augurium. Pergite magnanimi Principes hoc facere tyrocinium Herois, dulce po-

pulis, vobis gloriosum. Favete, AUDITORES, ut sole-
tis. Oratio tota vestra est,
agitur vestra felicitas, agi-
tur vestrorum Principum
gloria.

. PARS.

SI petenda & æstiman-
da est tota ratio felici-
tatis ex indole & ingenio
populorum, quorum felici-
tati consulitur, quis nescit,
AUDITORES, inter cæ-
teros terræ populos, ita fa-
ctos esse à natura Gallos
Hispanosque, ut cum nihil
habeant Principibus suis
charius, tum nulla re sua-
vius afficiantur, quam si

charos se quoque suis Principibus esse intelligant, neque recusent quominus bona, vitamque ipsam profundant, si modo illius amoris conscientia sustentare se possint & consolari.

Ac de Gallis quidem fuit illa, AUDITORES, paucos ante annos LUDOVICI ipsius toti genti perhonorifica vox, *deberi à se Deo Optimo Maximo grates maximas, quòd Rex natus esset; at quòd Rex Galliae, multò majores.*

Intellexit nimirum Rex sapientissimus toto diuturni regni tempore, quod etiam

si vota nostra audientur, diu-
turnissimum erit; intellexit
nihil defuisse a fideli populo
ad gloriam Principis, a quo
se populus amari sentiret;
quasi Principem optimum
fateri non pœniteret, in
illa ferie victoriarum, qui-
bus assueti hostes, mirantur
hoc anno primùm ad ur-
bes aliquot expugnandas
iter liberum sibi patuisse,
non tam sibi placuisse ipsas
victorias, quas alterius cu-
jussibet populi Rex referre
potuisset, quàm Gallorum
amorem, cujus suavitate,
etiam reliqui, præter Gal-
liam, orbis dominus ca-
ruisset.

Quid opus est ut de Hispanis dicam, quos non alia de causa crediderim in unam quasi gentem cum Gallis tam facile coaluisse, sub ejusdem familiæ Regibus, nisi quia similis est utrique genti in Reges suos amor & fides, cujus etiam Hispani hoc dederunt novissimis Regibus nobilius documentum, quòd clades tolerarent, Galli triumphis frueremur.

Quæ cùm ita sint, quæro a vobis, AUDITORES, quid primùm factum oportuit a geminis Principibus, quorum alter crescit in

spem Gallici Imperii, alter nobilissimæ genti jam imperitat. Dulce est amari scientibus amare, cùm imprimis cæterarum omnium rerum compendium sit in amore, ut si amor non desit, nihil ad felicitatem deesse videatur.

Utantur aliis artibus alii Principes, qui subditos fortiti legibus amoris indociles, novarum rerum cupidos, amantes turbinum & procellarum, majestatis contemptores nisi armatæ; apud quos ludit fortuna in ipsis capitibus regum; quibus & periculosum est negare quidlibet,

nec tutum satis omnia concedere ; valeat apud illas gentes vetus illud , *oderint dum metuant*. Vobis , Gallorum Hispanorumque Principes , dico , studete amari , non timeri. Felices Principes , non quos timent subditi , sed quibus timent.

Age verò , nocet regnis auctoritas vel nimia , vel nulla. Et quæ , amabo , vel ad temperandam , vel ad firmandam auctoritatem efficacior via quàm amoris? Nunquam plus possunt Reges quàm cùm amantur. Inde exulant querelæ , ubi amor est. Silent jura , cùm amor im-

perat. Est natura rerum suarum retinentissima, sed tamen nihil habet tam suum, quod amantis Principis gratiâ non dimittat. Amor amantis bono pascitur. Etiam in extremis angustiis constitutum non poenitet suæ conditionis, credit nihil sibi negandum esse, quia credit nihil peti quod non sit amoris legibus consentaneum.

Quanquam quid immoror in ea re, quæ Gallorum omnium cordibus altè inhæret? Testis est Europa tota, & suo iterum periculo discet quid valeat apud nos Regis amor. Sci-

mus regem populi studio-
 fiffimum nihil omiffisse, quo
 bellum hoc averteret, ut fi
 quid præterea gloriæ fuæ
 deeffet ad cumulum, im-
 pleret beato fuorum otio;
 fcimus eum superiore pacē
 multa concessiffe hostibus,
 fi fortè frangeret invidiam,
 oblatis ultrò conditionibus,
 quas vel petere superbum
 videretur; fcimus hostes ni-
 hil mollitos humanitate &
 indulgentia victoris, imò
 factos ad petendum proje-
 ctiores, neglecta fœderis
 religione, facrilega fœdera
 iniiffe cum gentibus invidis;
 audivimus armorum appa-

ratum, confluyente in Bata-
 vicas paludes omnium hæ-
 reticorum colluvie, & lon-
 gè ante, belli signum ca-
 nentibus invidia & hæresi;
 scimus non fuisse ista clam
 Rege, eum potuisse, si vo-
 luerat, occurrere suis hosti-
 bus, & inania consilia, ut
 sæpe aliàs, ipsa re antever-
 tere: tantum non etiam,
 parce Rex magne, indigna-
 ti sumus, quod ista patien-
 tius ferres. De tua gloria
 solliciti, dum tranquillitati
 nostræ consuleres, obtuli-
 mus fortunas, vitam, om-
 nia, ut tuo amorì respon-
 deremus. Discite hinc, ho-

stes, novæ ad hanc diem
 lætitiæ modum ponere. Ser-
 viit Rex pacificus fœderum
 religioni, amorì suorum, &
 nos ejus gloriæ & amorì
 deinceps toti impendemur.
 His viribus quid non cedit?

Paternas illas regnandi ar-
 tes imbiberant a teneris His-
 paniarum Rex & Burgun-
 dionum Dux. Specimen de-
 derat PHILIPPUS, ut pri-
 mùm solium conscendit,
 quàm non ab arte & edu-
 catione haberet divinum
 munus, quo suos Hispanos
 in ipso Hispaniæ limine si-
 bi devinxit, ut non e Gallia
 accersitus, sed in media

Hispania natus videretur,
obliviscentibus subito popu-
lis, si quid nocuerant Bor-
bonii Reges; quia statim
intellexerunt quantum Bor-
bonius esset profuturus.

Expectaverat LUDOVICUS
eidem indoli commendan-
dæ tempus opportunum.
Privatus ut sunt omnes Prin-
cipes in aula, & gaudent
esse, LUDOVICO Rege, pu-
taverat sibi intueri tantum
fas esse in avum Regem &
Parentem DELFINUM, quo-
rum virtutes velut in um-
bra propius observatas, in
luce postea & in sole exhi-
beret Avo & Parente dignus.
Sciebat

Sciebat quàm laudandum
in Rege, ex solii culmine
interdum propendere in po-
pulos inferiores, majestatis
oblitum, humanitatis me-
morem, & ipsi etiam ma-
jestati subsidium non dedi-
gnari ab amore populorum,
tam fortasse periculosum
esse virtuti teneræ, quam
non tutaretur supercilium
potestatis, commodare se
proceribus & aulicis, qui
plerumque non student fin-
gere se ad virtutes Princi-
pum, sed iisdem potius fa-
tali contagione vitia sua
communicare.

Illuxit tandem, AUDITO.

B

RES, hic annus, quo Sere-
 nissimi Principes virtutes
 egregias amoris popularis
 illecebras proferre possent
 in maiorem lucem, LUDO-
 VICUS non jam privatus,
 & cum aliquo dignitatis &
 virtutis periculo, PHILIPPUS
 non tantum coram Hispa-
 nis, sed etiam coram aliis
 nationibus, quarum incre-
 dibilem licet sui videndi
 cupiditatem praesens ipse au-
 xit, explevit, superavit.

Sinite me, AUDITORES,
 rem repetere paulo altius,
 & Herois quem ex hoc ip-
 so loco publicis votis prose-
 cutus sum abeuntem, miti-

gare jucunda narratione desiderium.

Vix absterferamus lacrymas, quas suo discessu excierat; vix Madritum pervenerat eo plaudentis Hispaniæ concursu, qui populosam Lutetiam revocaret in animum Principis, si potuerat excidere; vix solenni ritu inauguratus Rex, Coronæ Hispanicæ pristinam majestatem reddiderat; ecce tibi conversis continuo ad optimum regni statum & felicitatem curis, adjungit animum ad Nuptias, Barcinonem proficiscitur, dignam se Conju-

gem ea pompa excepturus,
 quæ Regem deceret, filiam-
 que potentissimi Principis,
 cujus familia soli Borboniæ
 secunda, eidemque perpe-
 tuis fœderibus juncta, ge-
 mino denique matrimonio,
 quod Deus utrique genti
 fortunet, in eam videtur
 feliciter confluxisse.

Nec verò PHILIPPI Bar-
 cinone commoratio otio-
 sa fuit. Cepit in ea urbe
 amoris sui & beneficæ in-
 dolis fructum longè dulcis-
 simum obsequium gentis
 bellicosæ, quam aiunt re-
 calcitrare malè palpantibus,
 at cujus in novum Regem

amor, observantia, fides etiam voluntario dono consignata, satis ostendit nobilissimi principatus populos non secus ac reliquos omnes, unde & quò velis, deduci, si modò artibus oppugnentur suis.

Sequitur, AUDITORES, transmissio Neapolim, consolante Barcinone discessus dolorem spe reditus, & sequente cupidius Regem, ex cuius amore jam didicerat etiam Reges amari velle potius quàm timeri. Quò me autem Neapolitani rapitis? quid erecti passim arcus triumphales? quid effusa ex

urbe urbs tota, & litus ob-
 fidens, intenta quàm longif-
 simè potuit in PHILIPPUM
 venientem oculorum acie,
 credo quia beatissimus quis-
 que sibi videbatur, si vel
 eum videret a quo se au-
 dierat amari.

Subit portum classis re-
 gia, resonantibus latè scopu-
 lis PHILIPPI nomen. Ex-
 scendit ipse, pertransit ar-
 cus triumphales jam trium-
 phatis cordibus. Liberam
 omnibus, quod Trajano Pli-
 nius blandiebatur, sui co-
 piam relinquit. Ingrediente
 per publicum PHILIPPO,
 licet singulis accedere, sub-

fistere, comitari, circumferre curiosos oculos in totum Principem; ipse omnes aspicit, ut gratificetur omnibus. Pascitur jucunda populi multitudine ex ipsius ore pendentis, salutat iterum atque iterum; beatum eum esse intelligeres, quia beabat ceteros.

Dicite populi felices, quis tunc arcanae lætitiæ sensus! quàm suaviter corda permulceret! Iners alius omnis sensus, si cum eo sensu comparetur, quem amor efficit, & imprimis amor Principis. Credit se PHILIPPUS custodibus corpo-

ris Neapolitanis conjurationum omnium securus, quas moliri nemo poterat, nisi qui PHILIPPUM non viderat.

Quid ego autem de conjuratione mentionem feci imprudens, & publica fidelis Urbis gaudia turbavi? Parcite tamen egregii cives, conjuratio alibi coaluit, apud vos & a vobis deprehensa. Noluerat quidem amor vester tali periculo innotescere, factus est inde tamen multò illustrior.

Dum PHILIPPUS suis se Neapolitanis adprobat, plaudente Italia tota, quæ
urbes

urbes suas ultro deferit, ut
 Neapolim confluat, dum
 spargit plena manu pecu-
 niam in pauperes, eorum
 querelas audit, dulce mise-
 rorum conditioni solatium,
 nec patitur, si fieri potest,
 se Rege quemquam esse
 miserum, dum toti regno
 gravissimum æs quo du-
 dum Hispaniæ obstrictum
 tenebatur, remittit oblitus
 se propemodum Hispaniæ
 Regem, gratificatur singu-
 lis ordinibus pro Regis ma-
 jestate, pro dignitate singu-
 lorum, templaque ipsa &
 sanctos regni Patronos re-
 creat pietate non fucata, at-

que his artibus firmat regnum, bello præludit, & jam EUGENIO quamvis longè remoto terrorem incutit, cogitque communire castra adversus Principem, pro quo pugnant pariter jura, pietas, fortitudo & amor populorum.

Interim BURGUNDIONUM Dux Versalicas arces reliquerat, exhibiturus Belgis PHILIPPUM alterum, ne quid illi Neapolitanis & Mediolanensibus inviderent, ostensurus hostibus LUDOVICI MAGNI Nepotem, nisi illi castris imminentem prudenti fuga declina-

rent, documentum in exercitu Gallico futurus, Principem ingens momentum esse, ad asserendam suis vel inter arma & pericula felicitatem.

Ac mihi quidem interdum in PHILIPPI & LUDOVICI vultum, & qui vultu se prodit, animum intuenti, visus est arbiter naturæ Deus finxisse geminos Principes pro ingenio & conditione populorum, quibus imperaturi erant; ut quanquam esset utriusque natura non-nihil dissimilis, uterque tamen in ejusdem laudis certamen exardesceret, uter

suorum corda sibi devinceret arctius, in quo uter altero fuerit felicior, non facile dixeris.

In PHILIPPO blanda quædam gravitas, ut regendis Hispanis natum illum esse intelligeres. In LUDOVICO acre quiddam & vividum, ut magis ad gallicos mores factus & accommodatus videretur. Pauca Hispaniæ Rex loquitur, sed urbanè & comiter, ut qui in aula gallica adolevit; plura Burgundionum Dux ex gentis indole, eaque prout res postulat ingenio & humani-

tate singulari condita.

In LUDOVICO præit amor, reverentia sequitur; in PHILIPPO præit reverentia, famulatur amor, & reverentiam auget: in utroque ingenium emicat, & felix virtutum omnium natura, ut quivis alius etiam non Gallus aut Hispanus felicem patriam suam arbitraretur, si sui Principes ad illorum similitudinem quàm proximè accederent.

Ubi verò explicare se commodiùs poterat ille regiarum virtutum comitatus, quàm in exercitu, ubi congregati sunt ex diversis re-

gni partibus milites, qui in suas singuli provincias, urbes, pagos, testimonia referant minimè suspecta adulationis, ubi sunt viri fortes veræ fortitudinis iudices, ubi per otium quo militares homines abundant, reprehenditur quidquid reprehensione dignum est, ut qui censuram militarem fugit, censeretur numeris omnibus absolutus.

In hoc porro publicæ laudis theatrum quid non attulit LUDOVICUS, ad promerendum suorum amorem. Confert sanè ad amorem Principis fortitudinis

fama, maximè apud Gallos. Timent Galli Principibus suis; gratum est illis tamen, si videntur ipsi Principes non timere. Laudant Principem contemptorem periculi, ipsa Principis in discrimine versantis cogitatione perhorrescunt. LUDOVICUS Gentis ingenio cumulatè satisfecit.

Revocate animo, AUDITORES, turpem Batavici exercitus fugam, salutarem illi receptum vocarunt. Videte illos sub ipsis Neomagi moenibus trepidantes, aut delitescentes in fossis, ne confisos quidem propugna-

culis urbis munitissima, tormentisque in Gallos detonantibus ! ut pavidam urbem pertranseunt, mirantibus civibus exercitum etiam turribus vallatum trepidare ! ut vix colligunt animos in ulteriore Neomagi parte, rati adhuc micare Gallicum acinacem, & Burgundionum Ducem instare.

Rem perstrinxi leviter, AUDITORES, quæ fidem superat. Expectabant sanè Batavi LUDOVICUM, ut nascenti Heroi novum hoc fortitudinis exemplum darent. Nam quid tale aliquando auditum est post

homines natos, exercitum
 iusto majorem, hostilibus
 copiis aut æqualem, aut
 superiorem, quæsisse ur-
 bis latebras, injecisse civi-
 bus pavorem, quos confir-
 mare debuerat, & quasi ex
 ignavis tantum vernulis
 coaluisset, actum repente
 esse in fugam solo domini
 aspectu, aut avium territa-
 rum more declinasse iram
 accipitris.

Abstineamus tamen joco
 in re seria, cæsi aut vulne-
 rati in ipsa fuga hostes plus
 mille, fatis docuerunt quàm
 non panico abrepti, sed ip-
 sa prudentia duce fugerent,

fatis sibi conscii quàm non
impunè Gallis occurrere-
tur.

Rem gloriosam suscepe-
rat LUDOVICUS, promove-
rat. Ipse non sine periculo
observaverat omnia non per
vicarios duces. Miserat qui
velitando fugientem hostem
morarentur. Jusserat sequi
exercitum. Præiverat ani-
mosa audacia, quam tamen
regebat consilium; uno ver-
bo satisfecerat omnibus, si-
bi ipsi non satisfecerat; do-
lebat sibi ereptam quan-
quam nulla sua culpa vi-
ctoriam. Sed dolere desine,
Princeps fortissime, fugiens

hostis minorem se fatetur.
 Tibi magis placueras cruen-
 tus, opinionem virtutis non
 auxeras.

Audite Galli, & quod di-
 cturus sum æternis moni-
 mentis consignate ad nepo-
 tum memoriam. Inciderat
 ut sæpè de militari gloria
 sermo, aderant duces pri-
 marii, & ingenti corona
 cingebant Burgundionum
 Ducem. Ego vero, inquit il-
 le, *beatum me putarem, si pro*
salute patriæ & Regis gloria
sanguinem profunderem. Eam
 vocem incredibile dictu est,
 qui secuti sint animorum
 motus, silentium, admira-

tio, plausus, amor, gratulatio, timor.

Ubi tunc hostis eras? quàm salubre tibi fuit tunc latere! quod vallum non perrumperet Gallus si sibi relinqueretur? quod periculum non sperneret? quis non foret vitæ prodigus in oculis Principis, qui propria vita bene putat emi Regis gloriam, & Regni incolomitatem.

Ite, Batavi, expugmate urbes indefensas, dum abest Burgundionum Dux; redibit vere novo, nec vos vel ipsa Neomagi munimenta satis tutos præstabunt.

Promiseram, AUDITORES,
 nihil me dicturum adula-
 toriè; fidem servo. Rure-
 mundam, Venloam dedi-
 tione acceperunt, Leodicum
 vi: aberat Burgundionum
 Dux. Nihil omisi, credo,
 quod Orator Batavicus di-
 xisset Amstelodami. Arcis
 Leodicensis præsidium hu-
 maniter spoliarunt, nuda-
 runt; aberat Burgundionum
 Dux. Fugerunt ad Neoma-
 gum; aderat Burgundio-
 num Dux.

In Keiserwartii obsidione
 ante adventum Principis
 cœpta, duos ipsos menses ser-
 vierunt famæ BLAINVILLII,

BRANCASII, MARILLIACI,
 quos honoris causâ appello,
 cæterorumque virorum for-
 tium, qui urbem deffende-
 runt, quandiu aliqua urbs
 fuit. Nihil ausi sunt toto
 tempore, a Maio ad Septem-
 brem moliri; aderat Bur-
 gundionum Dux. Ita planè
 quidquid hostis in Belgio
 aggressus est, absente Bur-
 gundionum Duce aggressus
 est, eo præsentente fugit.

Diversum erat in Italia
 belli genus. EUGENIUS vul-
 pem imitatus ad dolos se
 converterat, relicta Gallis
 virtute. VILLAREGIO opta-
 tam pulchræ mortis gloriam

inviderat, eo capto nullum sibi visus reperire posse obicem. Cremonam tamen in ipsa Cremona amiserat non sine pudore. Ex illo labi cœptæ Germanicæ res, fortuna virtuti reconciliata.

Liberata Mantua liberatori suo gratulata erat. Eatenus PHILIPPUS passus VINDOCINENSEM procedere, expectari se jubet litteris humano juxtâ & ingenioso Principe dignissimis. Nec ita multo post rebus Mediolani compositis, hoc est, devinctis sibi, ut Neapoli, omnium cordibus, liberalitate, munificentia, pietate; re-

creata etiam obiter sui Regis conspectu Cremona, & laudata civium fide, ad exercitum venit ingenti suorum lætitia, non minore hostium trepidatione, nisi quòd fidebant castris etiam Neomago tutioribus.

Quale hostium genus, AUDITORES, fugiunt Batavi in Belgio, in Italia Germani consistunt omni loco, ubique fluminibus, natura & arte vallati. Illos sistere, hos movere non potes. Si Batavos in Italia PHILIPPE, si Germanos in Belgio LUDOVICE nactus eras, jamdiu debellatum foret.

Post

Post varias ludificationes, quibus exercitati duces alter alterum in suos laqueos pertrahere conatur, emergit tandem è latebris EUGENIUS nobili audacia, fed non felici. Adest, ut ipse quidem speraverat, improvisus, at non imparato VINDOCINENSI. Accipiebat copias, disponebat, adversus hostem ducebat, ubique præsens, ubicumque periculum erat.

Conferebantur manus eo utrinque ardore, qui victoria dignus erat, & nostris hostem se dignum probabat, ut ea dies tandiu expectata non frustra videretur.

D

Brevior dies pro animis pugnantium, fortunata fœderatis ex omni parte, si cum aliis viris fortibus non periisset CREQUIUS Heroïum sanguis, Heros ipse.

Partiebatur periculum PHILIPPUS, non è longinquo, ut fit, sed in ipso tormentorum fragore, plumbique missilis & sclopetorum undique crepitantium grandine adhortabatur suos, exemplo magis quàm verbo, vix passus ardori suo modum poni. Sufficiebat animos lætus & immotus, sic quasi in umbratili palæstra, egregiè animatis VINDOCINENSIS

utebatur. VINDOCINENSIS
materiam virtutis submini-
strabat, PHILIPPUS præ-
mium virtuti tribuebat, &
quis ad eum rediret nisi
victor?

Satis est, EUGENI, quid
instas Marte non tuo? En
cum STAREMBERGIO perit
exercitus pars magna COM-
MERCIUS, dignus qui inter
Gallos pro meliore causa
periret. Gaude noctis tuæ
beneficio, i, repete latebras
unicum adversus Gallos
præsidium. Vincere poteras,
si in Turcas incidisses.

Non omitam, AUDITO-
RES, totis octo & quadra-

ginta horis stetisse ante & post pugnam PHILIPPUM, cibi & somni immemorem, dum sui in periculo verarentur. Veruntamen gloria longè suaviùs in ipso victoriæ gremio reficiebatur, in quo nihil desiderasset, si viros fortes, qui ex suis quoque partibus, ut est victoriæ natura, ceciderant, potuisset humanissimus Princeps iterum excitare.

Sed arma sanè dimittamus. Neque verò vel in ipsis castris perpetui sunt cum hoste conflictus, ut nihil præterea miles ad felicitatem requirat. Hic verò quid

dicam, AUDITORES, quod expectationi vestræ respondeat? quid de liberalitate, de munificentia, de comitate, de responsis ingeniosa humanitate plenis, quibus omnibus Burgundionum Dux nobilium juxta & militum animos sibi conciliavit.

Accesserat ad mensam LUDOVICI non invitatus veteranus quidam, ordinum ductor non primarius. Injuncta est viro forti religio super ea re. Parabat excusare culpam ab inscitia aulicarum legum. *Ego verò*, inquit Princeps, hominis pu-

dori benignè occurrens, docebo te *aulicas leges*, tu *bellicas* me docebis, perge inter convivas esse.

Nec vos, gregarii milites, Principis optimi humanitas prætermisit. Quem vestrum sua liberalitate dignum egerere passus est? quàm multis clam opitulatus est, hoc officiosior, quò magis officium celabat. Nihil dico, quod mihi certis autoribus non constet.

In crebris subitisque castrorum mutationibus, quibus hostium consilia solent eludi, allatum est Duci Burgundionum cibi aliquid

levioris, quo, ut fit, sensim & cursum reficeretur. Visus est sui oblitus Princeps, ut personam subiret militum. *Nam si hac, inquit, conditio est Principis, quid tandem sentire par est de milite tam longis itineribus fatigato?*

Sexcenta sunt ejusmodi de utroque Principe; sed de LUDOVICO postquam ad bellum profectus est, res longé magis innotuit quam antè. Sanè quia in Principe nondum rerum arbitro non tam multæ occurrere potuerunt earum virtutum occasiones, quæ in Hispaniarum Rege, omnium amorem raperunt.

Regum est consolari subditos, aspectu, verbo, beneficio. Ceterorum Principum, quicumque illi sint, etiam imperio nati, quandiu in privata conditione vivunt, virtus est non nimium placere. Videri debent nihil velle, quia prudentiæ est, ut videantur nihil posse. Magni sunt si sciant latere.

Sed incidunt aliquando tempora, quibus virtutes quæ latuerant, non dubiis sese argumentis produnt. Micant minora sydera absente sole, in cuius radios dum incurrunt, lucent quidem

dem, sed non feriunt oculos majore lumine collustratos.

Interrogate, AUDITORES, quotquot in Belgico exercitu militarunt, summos juxtà & infimos. Interrogate eos etiam qui ex aliorum narratione audierunt. Exceptus erat LUDOVICUS summa castrorum gratulatione, cum ad exercitum venit, majore tamen dolore dimissus est: acclamatum est ab omnibus advenienti, abeuntem secutum est silentium: acclamationses LUDOVICI MAGNI Nepoti concessæ erant, ipsi Burgundio-

E

num Duci dolor impensus.
 Hæc est, Princeps serenif-
 sime, triumphi species lon-
 gè optima, tibi hoc anno
 propria. Fugerunt hostes
 præsentem, tui recedentem
 luxerunt.

Dixi, AUDITORES, hac-
 tenus de populorum felici-
 citate ex Principum amore
 nata: nunc de gloria Prin-
 cipum qui fructus est amo-
 ris alter, eodem quo pro-
 secuti estis favore, multò
 brevius dicturus sum.

M. PARS

CUM dulce est populis
 amari à Principe, tum
 amari à populo Principi

ipsi decorum est ac gloriosum. Crederes Deum optimum humanæ superbiam conscium, quæ hinc quidem superiorem vix patitur, illinc verò vix servat in potestate modum, utrique simul naturæ vitio occurrere voluisse sapientiæ suæ legibus, ut æqua veluti lance penderent Principum gloria & populorum felicitas, alternisque momentis librata utraque, vel nulla foret, vel se invicem niteretur ac sustentaretur.

Vidimus quid contulerint amantissimi Principes ad suorum felicitatem, nunc

quid illis grati populi red-
dant quasi fœnoris loco,
paulò diligentius attenda-
mus, nec in tam placito
argumento pigeat paululum
immorari.

Est sanè gloria nihil aliud,
præter consentientem bono-
rum laudem. Habet primùm
consensio illa, quòd blan-
diatur suaviter iis qui ejus
conscientia gaudent: habet
deinde quòd lucem & cla-
ritatem affundat eorum no-
mini, in quorum laude
boni omnes conspirant.

Subeamus igitur LUDOVICI & PHILIPPI ani-
mum. Adeste, quantum est

Principum , qui amoris popularis fastidio, tanquam à vestra dignitate alieni , caretis sponte fructu omnium suavissimo , & parte gloriæ longè præcipua ; sciscitami-
ni à PHILIPPO & LUDOVICO , in quo tam sibi placuerit uterque , quàm in eo quòd se hic à Gallis , ille ab Hispanis senserit amari.

Vox est incerti auctoris , qui profectò sub Gallicis Principibus non vixerat. *Bonos Principes* , inquiebat , *in uno sculpas omnes annulo*. Invidiosè ille fanè ; verùm ut non ita sit , quid blandiùs titillat , quàm in tanta Prin-

cipum multitudine esse te
unum cui datum sit, quod,
si non omnibus negatum,
paucis certè cùm è Gallia
discesseris, concessum est

Dic ipse LUDOVICE, cùm
te ad pugnam, aut potiùs
ad victoriam anhelantem,
fortuna hoc anno Gallis,
hoc est virtuti iniquior, in
ipso victoriæ limine cohi-
beret, quid exstimulanti glo-
riæ cupiditati moderabatur?
quid exardescentes ignicu-
los temperabat? nisi testi-
monium illud, quo tacitè
fruebaris, tibi ultro à mi-
litibus tuis deferri palmam,
quam prudens hostis invi-

55
debat. Quid si, ut olim Germanicus, obiisses noctis silentio militum tentoria, & fruitus esses ipse tua fama, quàm pura, quàm liquida voluptate perfusus animus, ereptæ victoriæ oblitus esset, cujus fructum longè dulciorem in suorum testimonio percepisset.

Non equidem auctor sim temere omnibus exercituum imperatoribus, sic obeant vigiliis noctis, & qui sint de ferumsculi, aure malè curiosa explorent; vereor ne inconsultæ curiositatis eos poeniteret. Audirent interdum, & quid non? Diæteria mi-

litum & sales minimè urbanos, convitia, querelas miserorum non semper attendentium, quid ratio, sed quid desperatio suadeat.

Non quod præstare velim, AUDITORES, quidquid innata homini, militi præsertim malignitas & maledicendi licentia suggerit. Ejusmodi maledicta ne ille quidem olim effugit sapientissimus Imperator, qui rem Romanam cunctando restituit.

Quanto melior tamen LUDOVICI conditio! audiret suspiria militum charissimo Principi condolentium, cujus ardorem fortuna fefel-

lisset, pro cuius gloria parati essent ultro mortem optetere; audiret effusos certatim in sui laudes tum milites, tum duces. Laudes veræ sunt quæ in absentem Principem congeruntur sine spe, sine metu. In his blandiùs acquiescit amor omni homini innatus, quia tunc se putat ab omni erroris vel suspitione liberum. Error communis, quo falsis laudibus creduli plerique omnes decipiuntur, veræ laudis sensum multò acriorem & suavio-rem efficit. Et quis nescit sensum illum esse id, quo

gloria vel imprimis hominum animos rapit.

Pertinet fanè ad gloriam fecerni à reliquis, versari in ore omnium: sed conscium esse sibi ipsi, non tribui ista dignitati, sed virtuti; non proficisci ab adulatione, pars est gloriæ, qua vix quisquam carere velit, etiam ex iis qui laudibus alioqui non admodum delectantur.

Et quàm sæpe Burgundionum Duci fructum illum gloriæ & recte factorum, qui in conscientia positus est, gustare hac æstate licuit? Prætereo multa,

AUDITORES, quæ silentio
obruï necesse est, quia mul-
ta sunt, si tamen obruitur
quod in memori Gallorum
corde æternum vivet.

Sed non omittam singu-
lare facinus, quo fuorum
corda expugnavit LUDOVICUS
eo tempore, quo fu-
gientes hostes vincere non
licebat. Venerat in eorum
potestatem post accepta vul-
nera vir fortis, toti legionī
charus. Curato vulnere re-
tinebatur in hostili præsi-
dio, quia deerat unde sol-
veret. Nec mora conferre
amici symbolum pro se quis-
que, & laboranti adesse. Res

Burgundionum Duci innotescit. Quid fecisse eum putatis? *Absistant*, inquit, laudata amicorum pietate; *meæ sunt partes istæ, sunt hæc principum emolumenta, felices si, cùm facere non possint ut omnibus bene sit, norint saltem opitulando miseris, ex aliena miseria quæstum facere.* Simul hæc, simul jubet ex propria pecunia solvi quantum satis est, ut patriæ vir fortis & charæ legioni, etiam meliore quàm antea, conditione redonetur.

Videor mihi videre, AUDITORES, redeuntem illum ad suos, gratulante legione, non tam ipsi, quàm Princi-

pi, imò exercitu toto applaudente nobili facinori, & ridente jam vulnera, quibus sic Princeps optimus mederetur. Testor vos, AUDITORES, plus-ne gloriæ triumphatus hostis in Principem refudisset?

Nolite mirari quòd in LUDOVICO hæream, caruerat ad eam diem illo gloriæ sensu, quem multis jam in occasionibus PHILIPPUS perceperat. Gallorum desideria, cum ab iis avulsus est; Hispaniæ lætitia, cum ei optanti concessa est; voluntaria urbium munera novo Regi oblata; excita è sedi-

bus suis Italia tota, ut obviam fieret Principi; erecta Neapoli statua, ut semper versaretur ob oculos Princeps, quem cives omnes fovebant in corde: si non hæc ad gloriam conferunt, non video quid possit esse gloriosum.

Verùm alia est Principum gloria, five jam regnant illi, five debentur folio; alia ceterorum omnium qui eo fato nati sunt, ut in minore fortuna vivant. Horum nomen clauditur angustiùs, illorum fama publica in omnium ora fermonefque diffunditur; nec satis est,

si in iis alicujus dumtaxat
virtutis splendor eluceat, e-
mittant vibrentque oportet
quoquo versum radios, qui
in omnes omnium conditio-
num homines incurrant, &
ab iis remissi ipsam Princi-
pum claritudinem augeant,
efficiantque illustriorem.

Id verò in Rege Hispa-
niarum & Burgundionum
Duce planè admirabile hoc
anno & singulare fuit, ut
quemadmodum habuerunt
singuli cujuscumque statûs
& ordinis homines quod in
utroque Principe suspice-
rent, sic etiam à testimonio
singulorum ad utriusque

Principis gloriam aliquid
 redundaret, atque in illo te-
 stimonio tantò plus esset
 ponderis & autoritatis, quod
 communi consensu nitere-
 tur.

Adeste igitur qui, vel pie-
 tati, vel pacificis artibus,
 vel bellicæ scientiæ impri-
 mis favetis, habetis quod in
 vario illo genere ad PHILIP-
 PI & LUDOVICI laudem &
 commendationem liceat ab-
 sique suspicione adulationis
 prædicare.

*Nullum, inquit Plinius,
 præstabilius munus deorum est,
 quàm castus & sanctus & diis
 similimus Princeps. Et si iis-
 dem*

dem artibus Principum gloria & felicitas populorum continetur, quis fons laudis uberior apud populos pios & religioni addictos, quàm pietas & religio Principum? Et quid aliud jam in Gallia, Hispania, Italia & Europa tota celebratur magis, quàm Borboniæ familiæ pietas; ut quemadmodum olim Austriaca gens pietati debuit suæ amplitudinis initia, sic nova his temporibus regnorum accessio, Borboniis, quasi pietatis fructus, repensâ esse non immerito videatur.

Moverat jam tum in illo

Hispanico itinere, totius Galliae admirationem Serenissimorum Principum pietas tam sine fūco, quàm sine ostentatione. Exciti certatim populi ad videndos Principes, eorumdem exemplo ad amorem religionis exarserant. Sed præludia ista fuerant prodeuntis primùm in publicam lucem virtutis, quæ deinceps confirmata, longè illustrius hoc anno mirantibus populis se prodidit.

Quid hic testes appellare necesse est? Plura Galli, Hispani, Itali, Belgæ plura sciunt, quàm vel possim in-

tegra oratione complecti.
 Neque vero nos fugit, Lu-
 DOVICE, quamvis pietatem
 noctis beneficio sæpe cæla-
 veris, nullum te quandiu
 in exercitu fuisti, præter-
 misisse diem omisso sacro,
 ut si quando nocte concu-
 bia movendum foret, tua
 pietas excubito rem quemli-
 bet diligentissimum præver-
 teret.

Scimus templa hostium
 impietate vel injuriâ tem-
 porum diruta, tua liberali-
 tate restituta esse in inte-
 grum; scimus leges à te po-
 sitas sapienter, ne castrorum
 licentia religio violaretur;

scimus quibus artibus Deum
tibi conciliares in procinctu
ad bellum, ut mirari nemo
debeat, quod fugerent ho-
stes Principem qui Deum
haberet suum. Jactetur e-
nimvero pietate molliri ani-
mum, id satis refellit Bata-
vus, qui nihil tam timuit,
quàm ne tecum congrede-
retur.

Quid dicam, AUDITORES,
de amore litterarum, quas
uterque Princeps coluit vel
inter arma, credo, ut redi-
rent ad suos etiam si fieri
potest, Musarum commer-
cio humaniores. Quàm avi-
dè jucundum argumentum

arripient viri litterati, qui
eruditorum & ingenioso-
rum Principum commen-
dationem ad litterarum quo-
que gloriam pertinere arbi-
trabuntur.

Et vos, bellicosi viri, si
qui estis adhuc qui suum
litteris invidetis decus, no-
lite credere non convenire
Marti cum Apolline. Mi-
nerva est eadem quæ &
Pallas. Præclarè utriusque
partes sustinuit LUDOVICUS.
Quo tempore hostis fugiens
victoriæ copiam non facie-
bat, discebat bellicosus Prin-
ceps vincendi artem, subi-
bat rei militaris intima pe-

netralia in secreto conclavi solus; cognoscebat locorum situm & naturam, vel cum ducibus peritissimis, quorum usu & experientia perficiebat, quidquid studio & industria didicerat.

Jam vero quis meritis laudibus efferat singularem Principis in agendo prudentiam, maturitatem judicii in expendendis ducum consiliis, cujus rei testes fuerunt ejus ad Regem litteræ, admiratore ipso Rege, qui reduci è bello Principi, cujus sapientiam & sagacitatem norat, hunc honorem habendum putavit, ut eum

in regia omnia consilia ascisceret, nec dubitaret Avus sapientem Nepotem consulere.

Nec segnis fuit & otiosa LUDOVICI prudentia. Audivimus non semel Burgundionum Ducem in eo esse, ut cum hoste faceret periculum artis quam didicerat, eum nunquam visum fuisse letiorem, quàm cum hostis nuntiaretur propior.

Timuimus Parisiis, quæ urbs insito erga suos Principes amore, toti regno præluceat, & vel hoc una digna est, quæ sit ceterarum urbium caput; timuimus sæ-

pe, ne, quod tu, Magnanime
 Princeps, cupiebas arden-
 tius, eveniret. Pugnabamus
 contrariis votis: utrinque
 tamen auditi sumus; non
 defuisti victoriæ, in quo
 laus est quam ambibas; vi-
 ctoria tibi defuit, in quo
 periculum erat, quod time-
 bamus. Nam quid habet vi-
 ctoria quod non sis conse-
 cutus? Quis nescit vel in-
 ter hostes, per te non ste-
 tisse quominus vinceret, ti-
 bi nec consilium, nec ani-
 mum, nec ardorem mili-
 tum defuisse, qui te duce
 riderent omne periculum
 quod tuum non foret.

Galli

Galli sumus ingenio paulo amantiore libertatis; aperimus interdum animi sensa paulo liberiùs; damus cetera omnia Principum amorì, pecuniam, nos ipsos; jus in sensa retinemus imperiosius, nec ad simulandum, nec ad dissimulandum idonei.

Quid igitur gloriosius Burgundionum Duci, quàm non modò non metuisse satyram, quod ipsum laus est præsertim in Gallia; sed etiam vim fecisse satyrarum scriptoribus, extorsisse ab iis laudes, imò effecisse, ut quasi obliti indolis, in nascent-

tis Heroïs præconia sponte
conspirasse viderentur, eo
maximè tempore quo ur-
bium aliquot expugnatarum
dolor, qui Gallos imprimis
urit cladibus non assuetos,
laudibus vel dicendis vel
audiendis non admodum
favebat.

Omnino nihil excidit, Au-
DITORES, in ipsa loquen-
di licentia, quod non in
Principis gloriam refunde-
retur. Satyra ipsa, vel cum
alios punxit, jure an inju-
riâ non dico, blandita est
Burgundionum Duci, qua-
si ejus patrocinium ambi-
ret, cui satis sciret se nun-

quam esse nocituram.

Quin iterum, AUDITORES, ut ante duos annos, toti se Galliæ videndos præbent Principes egregii, & suo aspectu recreant iterum regiones, quò jam eorum fama penetravit?

Fortunatæ regiones inter ceteras Galliæ provincias, quas nunc obit PHILIPPUS non sine ceterarum invidia, audieritis cladem EUGENII ad Sanctam Victoriam, majoris victoriæ omen ad Luzaram, secutam Luzaræ deditionem, expugnationem Guastallæ, cujus opera Magnanimus Princeps lustra-

vit non semel eo animo,
 qui spem hosti faceret, suis
 metum. Audieritis, quod his
 majus est, expugnata ab eo-
 dem Italorum omnium cor-
 da; fidas cadentes sponte è
 manibus conjuratorum; pur-
 gatum sceleratis Neapolita-
 num regnum; compulsos
 sceleratos aliò fugere, &
 dignum flagitiis supplicium
 declinare.

Audieritis honores à Sum-
 mo Pontifice, Catholico Re-
 gi exhibitos, frendente ne-
 quicquam invidiâ; exiliisse
 gaudio Christi Vicarium,
 vix tenuisse lacrymas, audi-
 tis quæ redux Legatus de

Regis pietate narrabat, optasse Ecclesiæ filios ejus similes, & omnia prospera ipsi Principi, quem haud dubium esset natum esse non minùs ad Ecclesiæ, quàm ad eorum quæ ipsi obtigerant regnorum gloriam & felicitatem.

Fruimini felices Galliæ tractus earum rerum omnium autore. Excedite urbium portis Massilienses, Telonenenses, ceterique populi. Nectite quoad licet moras dulces hostium victori & suorum, quem Italia sibi ereptum dolet, Hispania repetit, Gallia invi-

deret, nisi etiam suo Heroe frueretur.

Sed gloria limites nescit, nullis nisi orbis finibus circumscribitur. Hic verò triumphant PHILIPPUS & LUDOVICUS. Quæ regio, quamvis immenso marium tractu à nobis divisa, quo non utriusque fratris fama veluti amoris remigio deferatur? Quocumque Gallus Hispanusque vel miles vel mercator penetrant (penetrant autem in omnes terræ partes) deferunt eodem secum ambitiosius, nomen & virtutes Principum, quorum sub tutela sperant se ali-

quando bellis & aquilonibus defunctos, vitæ quod supererit pacificè traducturos esse.

Narrabit Hispanus mutari jam cœptam in melius Hispaniæ faciem, ex quo Borbonius cœpit Imperii habenas: augurabitur Gallus perpetuam Galliæ felicitatem sub LUDOVICO MAGNO & LUDOVICI Nepotibus. Conferet Hispanus Regem suum cum Regibus, in quorum ditiones transibit, comitatem cum eorum supercilio, facilitatem illius adeundi, five es nobilis & dives, five plebeijs & pauper, cum il-

lorum consuetudine, qui se Reges putant, si lateant, nec habent fere pauperes in subditorum numero.

Dicet Gallus adolefcere in fui Regis aula Principem, qui in fuorum amore prima ponit heroicæ virtutis rudimenta, certus se fatalem hosti fore, si ametur à suis. Dicet Hispanus, victos à PHILIPPO omnes qui aufiunt contra stare; dicet Gallus fugisse omnes ne à LUDOVICO vincerentur.

Dicent ambo esse utrique Principi easdem artes, ingenium, humanitatem, litteras, fortitudinem, religio-

nem. Dicent.... Ingeniosi sunt qui amant. Hispani sua sponte magnifici in rerum suarum prædicatione, longè fient amore exstimulante eloquentiores, addent si quid addi potest PHILIPPI virtutibus, & quasi Regis sui frater transisset quoque in jura Hispanicæ eloquentiæ, suppetias venient Gallicis natura sua paulo verecundioribus, & PHILIPPUM & LUDOVICUM alternis ad cælum præconiis efferent, cogentque evanescere lucem omnem reliquorum Heroïum ad insolitum jubar duplicis veluti solis, qui ipsi

propemodum qui terras illustrat, vero soli facere pudorem possit.

Errant enimvero, AUDITORES, qui putant solis victoriis clarari Heroas, nec posse nisi multorum morte assequi immortalitatem. Quàm multa habent triumpho, quæ publica gaudia polluunt! Dum victori acclamatur in compitis, lugetur sæpe in privatis domibus. Et quis ei applaudat, qui causa est lacrymarum? Diluitur etiam victoris gaudium, nisi ille Romanus sit, quoties incidit in eos, qui non haberent fortè cau-

sam dolendi, si ille non vicerat. Constat certè festos ignes obscurari funeribus, idque unum à mœrentibus familiis peti posse, ne funestæ sibi victoriæ nimium diu meminerint.

Non hæc dico, AUDITORES, ut victorias elevem. Vicimus vel hoc anno, quem visi sumus pacis, quoad fieri potuit, retinendæ studio concedere; vicimus in Italia, ubi erat Hispaniæ Rex; vicimus in Belgio, quandiu ibi substitit Burgundionum Dux.

Vicimus in Germania, ubi BADENSIS primum fecit in

acie virtutis gallicæ periculum, primo victus certamine, ubi VILLARSIIUS ostendit quis sit proximus ad Mareschalli, ut vocant, dignitatem gradus, summo in Gallia honoris titulo antè dignus, quàm illum à Ludovico obtineret; qui probavit exinde dignum se fuisse imperio, antequam imperaret, & BADENSEM coëgit, novæ cladis metu, dolori suo vix consolabili modum ponere.

Vicinus iu Germania, ubi TALLARDUS Comes Coloniæ Agrippinam docuit revereri suum Principem,

& ejus hostes è suis mœnibus dimittere, brevi iterum ad fœdifragos reversurus, ubi Trarbacensis castri expugnatione fœderatis Mossellam navigantibus securitatem reddidit, ubi nunc sui reverentia continet intra Landavii mœnia Germanos campaniæ uvis jamdudum sua spe ebrios.

Vicinus in Italia, ubi TESSÆUS recenti Borgofortii expugnatione, multa alia, eademque clarissima facinora cumulavit, & spem omnem, si qua supererat Mantuanæ prædæ, Germanis ademit. Vicinus in Ger-

mania & Italia, ubi B A-
DENSI & EUGENIO detra-
xerunt VINDOCINENSIS &
VILLARSIUS id quo Tur-
cas, nonnihil etiam Gallos
terruerant.

Non deerat igitur oratori
argumentum simile iis qui-
bus hæc suggesta toties per-
sonuerunt. Sed visus sum
mihi eam eligere materiam
debere, quæ cum minùs
vulgaris & tralatitia, tum
multo suavior, hoc habe-
ret præterea, ut fastidiosis-
simorum hominum, ac ne
hostis quidem ipsius censu-
ram pertimesceret.

Sinamus itaque hostes an-

num hunc suum dicere,
 quanquam ut id parcè di-
 cant, admonent Luzarenfes
 campi, triumphati in ipsa
 sua Germania Teutones, li-
 berata magnam partem Ita-
 lia, constans Hispania in fi-
 de absentis Regis, oberran-
 te nequicquam hoste, &
 tenaces religionis fideique
 populos ad defectionem
 frustra sollicitante. Hæc sa-
 nè in quibus rerum cardo
 vertebatur, quæque ut ma-
 gna videantur, non egent
 oratoris industria; hæc, in-
 quam, si hostium fuerant,
 non dubitarent illi annum
 hunc inter paucos sibi for-
 tunatos annumerare,

Sed, ut dixi, fruantur lætitia, quam illis fortuna singulis quinquaginta aut sexaginta annis semel tantum concedet, tot enim anni sunt ex quo LUDOVICUS victoriam habet suam. Nos, AUDITORES, in utroque LUDOVICI MAGNI Nepote habemus aliquid Galli Hispanique, quod sit triumphis multo suavius ad cogitandum, quod sit ipsum triumphorum omen & victoriarum, quod denique unius anni res non ita prospere gestas jugi multorum annorum felicitate conscletur.

DIXI.

